

17

THEOLOGICAE
DE SACRAMENTIS UNIVERSIS AC SINGULIS
CONCLUSIONES,

A BACC. JOSEPHO MATTHIA DE ELIZALDE,

EMMANUELIS CAVALERI,

JURIS CIVILIS ET SACRAE THEOLOGIAE DOCtoris, Professorisque revelatae doctrinae moralis, auxilio

IN REGIA HISPALENSI ACADEMIA

PRO ANNIVERSARIA EXERCITATIONE TUENDAE.

Kal. Octob. Anni Domini MDCCXCVI.



Hispali apud D. Felicem de la Puerta, Typographum, in via vulgò appellata Calle Piñones num. 18.
Superiorum permissu.

Consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiae Sacramentis agere, per quae omnis vera justitia, vel incipit, vel caepta augetur, vel amissa reparatur. Conc. Trid. Sess. 7. in Proem.

CUM *in nullum nomen Religionis*, ajebat olim magnus Ecclesiae Parens Augustinus, (a) *seu verum, seu falsum coagulari homines possint, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur*; de iis Ecclesiae Mysteriis (b), *per quae omnis vera justitia vel incipit, vel caepta augetur, vel amissa reparatur*, disputationes instituentes asserimus: Sacramenta signa sensibilia rei sacrae sanctificantis nos intelligi; quorum aliquod in lege naturali reperiebatur sensibile signum quo saltem parvuli justificabantur. *Non est enim* (c) *credendum ante circumcissionem famulos Dei, quando quidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo ejus Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis.* Nec de fuisse Sacramenta in lege scripta plura certè, et difficiliora (d), virtuteque inferiora iis, quae Dominus Jesus Christus Ecclesae suae donavit, quae nec plura, nec pauciora quam septem numerantur, Baptismum, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, atque Matrimonium, semper ab Ecclesia probata et quae usque nunc probat. Horum omnium Mysterium Domininus noster Jesu-Christus potestate, qua ut Deus, et Homo, praeditus, erat, auctor creditur immediatus, ut poté qui materiam, et formam illorum, non secumdum speciem declaraverit, ita ut improbabile judicemus, eas omnes non esse â Christo Domino certò determinatas, ab Ecclesia semper adhibendas necessario, nec ullam ob cau-

(a) L. 19. contra Faust. C. 2. (b) Conc. Trid. Ses. 7. in Proæm.
(c) S. August. l. 5. cont. Julian. c. 11. (d) Idem loco citato.

causam immutandas. Verba, quibus accedentibus ad Elementum fit Sacramentum, promissoria, aut concionatoria tantùm esse, propugnabat Calvinus; nos autém fide docemur Catholica esse consecratoria, seu efectiva ejus quod significant: tantam quipe Christus Dom. virtutem, vim, et efficatiam suis contulit Sacramentis, ut in non ponentibus obicem ex se se, et ab intrinseca virtute, seu ex opere operato, ut dici assolet, instrumenti instar gratiam parturiant: Quo verò pacto gratiam causent plurimùm viros inter Theologos agitatur, iis planè assentimur, qui morales gratiae, quam continent, et conferunt, causas judicant Christi Sacramenta, Deum videlicet movendo (a) pretio sanguinis filii sui applicato, crumenae instar, quae causa redemptionis captivi rectè dicetur, ut moralis tamen, si pecuniam contineat, et largiatur.

Sacramenta praeter materiam, et formam Ministrum requirunt, qui ea conficiat, hominem quidem viatorem, et si non quilibet omnium Sacramentorum sit minister, quaedam enim Sacramenta suum peculiarem exigunt dispensatorem. Licet Sancta sanctè sint tractanda, sanctorumque propterea puritatem debeat imitari Mysteriorum Dei dispensator, impius tamen scelestissimus, haereticus, vel schismaticus, aut paganus Sacramentum validum perficit, dummodò materiam, et formam ritè cum intentione apponat; quae certè requiritur qua non irrisoriè, et ludricè operetur sed serio, et reverà intendat facere, quod facit Ecclesia, ut ratum, et firmum sit Sacramentum.

Agripinus ab hereticis venientes iterùm baptizavit, quem Cyprianus medio saeculi tertii, Firmilianus, aliique plurimi, tum Africae, tum Orientis Epis-

---

(a) Can. de locis Th. praet. de Sacram.

copi secuti acris Cyprianum inter, et Stephanum Summum Pontificem exorta fuit controversia circa stabilitatem baptismatis ab haereticis collati: hînc plures facti quaestiones inter eruditos: aliquibus res absolvitur. Cyprianus, scilicet et Firmilianus cum caeteris ipsi ad herentibus non ad fidem, sed ad disciplinam suae Provinciae controversiam de rebaptizatione existimavit. Excomunicationem, licet comminatus fuerit Summus Ecclesiae Pontifex Stephanus in Cyprianum non tulit.

SAcramentum Baptismi, seu regenerationis per aquam in verbo vitae, â quo *omnis incipit origo fidei, et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio*, ut ajebat olim Cyprianus, (a) verum esse novae legis Sacramentum fide docemur Catholica, non nudum gratiae signum, nec in sola Evangelii notitia, qua credentes instruuntur, positum, ut somniavit Socinus. Christum Dominum non post mortem suam ut Tertullianus, aseruit, nec quando ipse Dominus in Jordane â Joanne baptizari voluit, sed cum Apostolos misit, ut jacerent Ecclesiae suae fundamenta Evangelii praedicatione baptizantes in Judaea, instituisse, quamvis certi non simus, probabilius judicamus; Plurimùmque differre à Joannis Baptismate, quod *non diù mansurum* (b), *et in tantùm imperfectum*, (c) *ut constet postea baptizatos Christi baptismate, qui á Joanne fuerant baptizati.* Sola naturalis aqua est vera, et propria hujus Sacramenti materia remota; quae ad solemnem tanti Sacramenti collationem chrismati admista consecrari debet. Proxima verò erit corporis ablutio, quae sive aspersione,

(a) Epist. 7. (b) S. Aug. lib. 5. de Bap. (c) S. Hieres. Dial. cont. Lucifer.

sive infusione, sive immersione fiat, validùm erit Sacramentum. Et quamvis triplicem adhiberi immersionem multis saeculis Ecclesia usa fuerit, qui ritus saeculo decimo tertio, teste Angelico praeceptore communior erat (a) eumdem tamen ritum seu disciplinam justis de causis Hispana Ecclesia sub Leandro, et Isidoro deseruit. Quolibet enim sive immersio, sive aspersio, sive infusio suficit.

Perfecta, et absoluta Baptismi forma haec est; *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: á qua substantia non deffert Grecorum forma. Trium propterea SS. Trinitatis Personarum invocatio ita necessaria ad hujus Sacramenti valorem est, ut nunquam, nec Apostolorum quidem tempore validum fuisse Baptisma in solo nomine Christi collatum, probabilius judicemus. Omnes omninò modò adulti, modò parvuli Baptismatis lege tenentur, *nisi enim renascantur ex aquâ, et Spiritu Sancto non possunt introire in regnum Dei* (b). Parvulos propterea non solùm licere, sed etiam expedire baptizari, ex Tridentini doctrina demonstratur: *Cum enim omnis aetas peccato obnoxio sit, ideò omnis aetas Sacramento idonea* (c): eos igitur, qui in utero matrum detinentur inclusi, si fieri possit, ut tantillùm abluantur, et licitè, et validè baptizari posse, probabilius juudicamus: Nec tamen periclitantem matrem, seu capite damnatam ob prolem baptizandam aperiri, ullo jure licebit, secus verò, si jam decesserit.

Tantus fuit insuper Domini nostri Jesu Christi erga miseros homines amor, et misericordia, ut statutis materia inventu facillima, formaque quae nullo

---

(a) 3. part. q. 66. à 8. (b) Joan. 3. 5.
(c) Div. Am... lib. de Abr. C. 15.

negotio edisci, et facillimè pronuntiari possit, ministro etiam Baptismi esse cuilibet licere voluerit urgente necessitate: *In casu necessitatis* (dicunt Patres Florentini) *non solùm Sacerdos, et Diaconi, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, et haereticus baptizare potest, dummodò formam servet Ecclesiae, et facere intendat, quod facit Ecclesia*: nec opus sit Baptisma, in publico Ecclesiae caetu celebrari: Sacris tamen Canonibus sancitum est, nè extra Paroechiam, nec nisi â Sacerdotibus quibus jure competit, infantes, et Cathecumenos solemni Baptismate oferri.

SAcramentum Chrismatis, seu Confirmationis, quo fideles ad Christi fidem, Baptismo receptam, palàm profitendam, Spiritus Sancti plenitudine roborantur, et communiuntur, verum esse novae legis Sacramentum credimus, reluctentur licet Lutherus, et Calvinus, illudque vaferrimis impetant mendaciis; Ejus adaequatam, et essentialem materiam esse manuum impositionem cum chrismatis unctione, ita ut *impstione manuum, et chrismate Paraclitus Spiritus tradatur*(a), propugnamus. Formam verò, orationem unctioniem antecedentem, et verba, quae ipsam unctionem comitantur: Scilicet *Signo te signo Crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sti.* tum apud Graecos, cum apud latinos perfectam judicamus. Oporteat licet, ut qui baptizati fuerint, unctione perficiantur, *si quis tamen ante de saeculo recesserit* (nondum confirmatus) *sub fide, quâ crediderit, justus erit* (b). Nos tamen Domini, et Eccleae praecepto teneri hujus Sacramenti munimine fi-

(a) Conc.Hisp. 2. ann. 619. (b) Illib. Conc. an. 305.Can. 77.

dem nostram confirmare, ut leoni nos devorondi ergo circumeunti validiùs resistamus; quod hujus est Sacramenti praecipuus effectus: ejusdem ordinarium ministrum, non quemvis simplicem Sacerdotem, sed Episcopum esse Tridentini edocti definitione fatemur: extraordinarium verò â plerisque gravissimis Theologis Presbyterum esse probatur, alii renuunt, nostra tamen sententia si nos non fallit animus probabiliter tantùm

Venerabile Eucharistiae Sacramentum Christum ipsum Dominum Salvatorem nostrum Deum verum, et hòminem verè, et realiter continet sub speciebus panis, et vini: quorum substantia nulla remanet, tota enim substantia panis, et vini vi verborum in substantiam corporis, et sanguinis Christi convertitur, ita ut totus Christus sub qualibet specie, et sub unaquaque speciei parte sit, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini. Quod verum licet sit, ab Ecclesia tamen ritè institutum est, ut duae separatim fierent consecrationes; inhibitumque unam sine alterâ materiam consecrare, valida tamen si fiat, erit. Salvator noster cum in finem dilexisset suos, voluit divitias sui amoris effundere, pridièque quàm pateretur, hoc instituit Sacramentum, quando cum Apostolis suis Agni Paschalis coenam celebravit; faciensque memoriam suorum mirabilium accepit panem, ac benedixit, deditque eis. Christum Dominum Eucharistiam in pane azymo consecrasse, credimus: unde Ecclesiae Occidentalis disciplinam, consecrandi in azymo, utpote Christi Domini exemplo fundatam magis Evangelio consentaneam, judicamus: licet certi non simus quonam tempore in Ecclesia latina hic in-

valuerit ritus, sicut in Orientis Ecclesia ille alius infermentato pane consecrandi. Hoc apud omnes constat, ac convenit utriusque panis consecrationem validam fore: et unumquemque teneri Ecclesiae suae morem sequi.

Vera, et legitima, ex qua hoc conficitur Sacramentum, materia est panis triticeus, et vinum de vitè. Aliquantulam aquam vino admisceri perantiquitus Ecclesia praecepit, ut in omnibus Liturgiis graecis, et Latinis reperitur: *Dominica traditio servetur*, ajebat olim Cyprianus (a), *nec aliud â nobis fiat quam, quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix mixtus vino offeratur*: graviter peccaret Sacerdos, qui aut nullam aquam vino adhiberet, sive aliam praeter naturalem, quae neque in eam, quae è latere Christi fluxit, aquam, nec in ejus phlegma, nec in propria substantia perseverat, sed in vinum priús mutari, ut in Christi sanguinem, facta consecratione, convertatur; nobis est probabilissimum.

Totum transubstantiationis Mysterium his Evangelii perficitur verbis, *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix Sanguinis mei.* Quae sané verba proferre, Eucharistiamque consecrare Sacerdotis solummodò munus esto, sicut et eam fidelibus minisrrare: quam tamen necessitate exigente, et ipsi possunt Diaconi dispensare. Omnis, qui ad hoc accedat Sacramentum se ipsum probet, nè sibi judicium manducet, et bibat; Quacumque tamen peccati maculá pollutus sit, verum Domini nostri Jesu Christi corpus manducat, publicis peccatoribus denegandum, cum Scriptura Sancta doceat sanctum non esse dandum canibus, occultis tamen peccatoribus, qui petierint, elargiri debet: Christus

(a) Epist. 87.

quippé ipse Dominus Judae Iscarioti proditionis suae scelus jam agitanti, Corpus, et Sanguinem suum donavit. Christum Dominum in hoc venerabili Sacramento cultu Latriae etiam externo adorandum esse, fide docemur Catholica; undè sanctè, et justé populo Christiano adorandum proponitur venerabile Eucharistiae Sacramentum, ac singulis annis quodam festo die in Processione reverenter per vias circumducendum ab Ecclesia est stabilitum.

Deletis denique â Christo Domino veteribus Sacrificiis aeternum Altaris Sacrificium fuit institutum, ab antiquis Legis Mosaicae sacrificiis planè diversum, in quo Verbum Divinum caro factum hostia, et Sacrificium pro hominibus Deo Patri offertur. Christus ipse Dominus, Sacerdos in aeternum secundúm ordinem Melchisedech, praecipuus est hujus Sacrificii offerens; quod Sacerdotes Dei, seu Presbyteri, veré, proprié, ac immediaté offerunt Deo; sicut et fideles omnes, licet diversimodé. *Quod enim* (a) *specialiter agitur ministerio Sacerdotum, hoc generatim agitur ex voto fidelium,* ait Innocentius Tertius.

QUoniam enim Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum (b), *illis etiam vitae remedium contulit, qui post Baptismum in peccati servitutem, et doemonis potestatem se se tradidisent Sacramentum videlicet Poenitentiae,* secundam post naufragium tabulam: Poenitentiam verum esse novae Legis Sacramentum, â Baptismate, ejusque memoria longè diversum, Catholica doctrina est â Concilio Tridentino tradita. (c) Tantam

(a) Lib. 3. de Sacr. Missae. (b) Concil. Trid. Ses. 14. Cap. 1. de Poenit. (c) Ses. 14. Can. 1. et 2.

quippe virtutem â Christo Domino hoc accepit Sacramentum, ut nullum sit peccatum quantumvis grave, quod Poenitentiae non subjiciatur. Peccata relaxare solum valent Sacerdotes, sed non omnes (uno dempto necessitatis, seu mortis articulo) sed qui et Ordine et jurisdiccione pollent. Absolvere â peccatis Diaconis non licet, nec unquam licuit; nec contrarium ex Cypriano atque ex historiae factis eruitur.

Materiam ejus remotam non terrores concientiae incussos ex agnitione peccati, nec fiduciam ex Evangelio, vel absolutione conceptam, ut Lutero placuit; sed actualia laethalia peccata post Baptismum commissa, apud omnes constat esse: proximam verò intelligi quasi materiam tres actus in Poenitente, cordis videlicet contrisionem, oris confessionem, et operis satisfactionem; ex quibus, contritio perfecta si fuerit peccatorem Deo gratum statim reddet: *ante remissio* (a), *ad cor perveniet, quam confessio in vocem erumpat*: si verò imperfecta, seu quae attrtio dicitur, modò supernaturalis sit vera, et universalis omnium peccatorum cum spe veniae, atque voluntatem peccati excludens, â multis judicatur ad Sacramentum sufficere, et non nisi cum magna probabilitate. Integram oris confessionem omnibus post Baptismum lapsis necessariam Christus Dominus instituit: publicam criminum confessionem nec primis quidem Ecclesiae saeculis, praeceptam reperimus: licet aliqui corde humili propria voluntate, Ecclesia minimè exigente ad aliorum exemplum occulta sua peccata palàm fassi fuere. Operis denique satisfaccionem ad hujus Sacramenti integritatem oportere, nec semper (b) totam poenam simul cum culpa remitti â Deo, Sacra Tridentina Synodus nos docet.

(a) S. Greg. in Ps. 31. (b) Ses. 24. C. 1.

Sacramenti Poenitentiae forma his concluditur verbis: *Absolvo te*, graviter tamen peccaret Sacerdos, qui: *â peccatis*: reticeret quae revera remittit Sacerdos, nec nudo donatus est ministerio pronuntiandi, ac tantùm declarandi dimissa â Deo esse peccata. Hujus Sacramenti dispensatores reorum merita perpendant, quos dispositos absolvant, quos veró non poenitere judicaverint, è contra: non poenitentibus usque in finem, vel sanis gravissimorum criminum reis poenitentibus ex universali Ecclesiae disciplina antiquitus denegatam fuisse absolutionem diffitemur, nec ex variis Illiberitanis canonibus evinci credimus.

EXtremam-Unctionem, seu exeuntium Sacramentum verum esse novae Legis â Christo Domino Sacramentum institutum Ecclesia nos docet: remotam ejus materiam oleum, proximam verò unctionen B. Jacobus Canonìca sua epistola declarat cum ait, (a) *Ungentes eum* (infirmum) *oleo in nomine Domini.* Aptissima forma illa est, quam latina usurpat Ecclesia, â Sacra Tridentina Synodo praescripta (b). Ratam, et validam tamen ab aliquibus judicatur indicativa forma collatam Extremam-Unctionem. Hujus Sacramenti Ministros non aetate seniores, sed Presbyteros ex epistola Jacobi santa Synodus Tridentina intellexit. Quae licet praescripsit illis infirmis adhibendam (c) qui tan periculosè decumbunt ut in exitu vitae positi videantur: *Curare tamen debet parochus aegroto* (d) *dum integris est sensibus, eam adhibere.*

(a) Cap. 5. (b) Ses. 14. Cap. 1. (c) Ses. 14. Cap. 3.
(d) Conc. Mediolan. n. 1.

QUaecumpue, à Deo sunt ordinatissima agnoscuntur, Ordinem propterea rerum omnium venustatem inter Ecclesiae Sacramenta, et numerari, et verum esse novae Legis Sacramentum Patres Tridentini docent (a). Septemque esse Ordines, Sacerdotium, Diaconatum, et Subdiaconatum, quatuorque minores, ab ipso Ecclesiae initio eorum repetita nomina, et uniuscujusque propria mnnia, et ministeria in usu posita, quamvis non simili gradu declarant. Hos omnes verè, et propriè esse Sacramenta â gravissimis viris propugnatur, alii magnae notae Theologi diffitentur: apud omnes verò Diaconatum, et Presbyteratum Sacramentorum proprietatibus praeditos legimus. De illorum materia, et forma non parva inter Doctores inita est. concertatio: ut Scripturae Sacrae conformiùs habemus in manus impositione, et oratione adjuncta positas, et perfectas esse. Ordinis potestatem, et Gratiam non Sacerdos, seu Presbyter, sed tantummódo Epicopus confert: nec difitemur Episcopos preditos esse potestate ordines conferendi, negamusque eam quam habent, illis esse cum presbiteris communem. Quascumque ordinationes factas ab Episcopo Haeretico, Schismatico, Simoniacae, sive quacumque alia peccati maculà polluto, et si non licitas, validas agnoscimus, sicut licitae non erunt, quae à propio non fiant Episcopo. Initiati demum in sacris cum aliis legibus, tum Coelibatus non divino, aut Apostolico, sed Ecclesiae praecepto, optimo quidem jure, ac merito obstricti manent.

(a) *Ses.* 23. C. 3.

Matrimonium, denique quod masculi, et feminae non plurium mutuo consensu perficitur, quodque veteribus connubiis gratià per Christum in Lege Evangelica praestat, verum novae Legis Sacramentum Patres, atque Concilia semper docuere: Ipsi contrahentes verbis, et nutibus, quibus consensum suum exprimunt, nedum materiam, et formam Matrimonii praebent, sed etiam plurium sententia Minister hujus Sacramenti erunt, aliorum é contra: quidquid tamen sit, Parochus cum testibus interesse debet benedicturus. Matrimoniaque propterea clandestina nullos, irritosque contractus Sacra Tridentina Synodus declaravit (a): ut autem ejusmodi Matrimonia ab Ecclesia semper detestata abolerentur, banna, seu proclamationes trinas ipsa Synodus praescripsit, ita ut nemini iis omissis, nisi gravissima de causa, liceat inire Matrimonium: Quod quidem ita natura sua est indissolubile, ut nec ob adulterium alterius conjugum dissolvi quoad vinculum possit. Nihilominus probabilius nobis est visum per libellum repudii, quo Judaei nuntium uxoribus remittebant, solutum fuisse prioris Matrimonii vinculum, et unicuique conjugum licitè, et validè in potestate esse ad nova vota transire. Ita â Deo institutum est Matrimonium, ut duorum tantum masculi, et feminae conjunctione finiretur alienamque ab ejus natura Polygamiam judicamus: Priscos tamen Patres, quos Polygamos fuisse legimus, â culpa liberos esse ex variis Scripturae locis ostenditur.

(a) Ses. 24. C. 1.

M[illegible]

